

horis, in quibus non debet legi nec silentium teneri; altero modo intelligitur ita: si autem talis est necessitas, quae non potest differri, tunc quando illa necessitas exigit, ut petantur, hora competens est, sive sit nocte aut in illis horis, quibus lectioni vacandum est; si autem necessitas non est, aut si talis est necessitas, quae potest differri, non aliis horis debent peti nisi in illis, in quibus licet loqui; nam si aliis horis petita fuerint, non *horis competentibus* petunt, quia incompetens hora est, quando lectioni vel psalmis vacant. In hoc loco intuendum est, quia cum dicit *dentur, quae danda sunt*, cellararium constringit, ut si horis competentibus petitus fuerit dare, det, ut fratres non contristet. Cum autem dicit *et petantur, quae petenda sunt*, congregationem constringit, ut fratres non incongrua et incompetenti hora petant, ut illum cellararium non contristent. Et reddit causam, quare, cum dicit: *ut nemo perturbetur neque contristetur in domo Dei*, i. e. ne cellerarius contristetur aut conturbetur male petente congregatione; similiter ne fratres conturbentur aut contristentur non dante cellarario, quod suo tempore petitus fuerat. Et hoc sciendum est, quia melius est, ut illa persona, si non est talis, ut huic ministerio sufficiat, evellatur ab illo ministerio, quam illud ministerium violet, hoc est corrumpat, ut *ita* non detur fratribus, ut duo possit implere, hoc est et curam de omnibus gerere, et sine jussione abbatis nihil facere; aut oerte si talis non est persona, i. e. ita apta omnibus, ut hoc officium bene possit implere, nullo modo cellararium debet illum abbas constituere.

*Cap. XXXII.*

DE FERRAMENTIS VEL REBUS MONASTERII.

*Substantia monasterii in ferramentis vel vestibus seu quibuslibet rebus - praevideat abbas fratres, de quorum vita et moribus securus sit, et eis singula, ut utile judicaverit, consignet custodienda atque recolligenda.* Apte et congrue dicit nunc de ceteris ministris monasterii, quia jam dixit de cellarario, qui major esse noscitur. In sua enim